



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

III. Homeri, & Hesiodi,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

ad rem quam tractamus appositum, commentaria accepisse Sanchoniathonem ab Ierombalo Sacerdote Dei Ievo, & de Judæis verissima prodidisse. Ierombalum autem eum esse Gedeonem, ex libro Judicum, ubi non semel Ierobaal cognominatur, sciunt eruditæ, & docuit Suidas, sed in vocis originatione falsus est; quemadmodum in ipsa re Georgius Syncellus, qui Ierombalum Gedeonis fratrem esse credit, nominis duplicitis ambiguitate deceptus. Quæ autem à Gedeone commentaria Sanchoniathon accepta, quid aliud esse dicamus, quam ipsos Mosis libros, quorum doctrina tincta sunt & asperfa, ut dixi, superstites Sanchoniathoni reliquiae? Omnem vero dubitationem tollit, quod notatum est à Philone Byblio, Sanchoniathonem, cum de rerum principiis & mundi origine commentaturus esset, summa diligentia Taauti libros evolvisse, ut pote quem sciret esse literarum repertorem, & primum commentaria reliquiae; ab eoque summis scribendi argumentum. Tum posteaquam Sanchoniathoni dissertationes de mundi & animalium procreatione exposuit, hæc omnia ait in Taauti Cosmogonia fuisse descripta, quæ sibi comperta ex signis & conjecturis mens ipsius nos docuit; atque hunc Taautum, ab Ægypti Thoth, à Græcis Mercurium appellari. Jam vero hæc omnia mecum argumenta collige: De mundi generatione scripsit Taautus; scripsit & Moses: literarum inventio Taauto tribuitur; tribuitur & Mosis ab Eupolemo, Theodoro, & Ifidoro: Taauti libris ad opus suum lucubrandum usus est Sanchoniathon, idemque à Gedeone commentaria ad id ipsum accepit; Mosis doctrinam spirant passim & repræsentant Sanchoniathoni reliquiae: quis non inde conjiciat Taautum illum fuisse Mosem? At nos id quoque infra multiplici argumentorum congerie clarius etiam & certius approbabimus.

III. Sanchoniathonem excipient Homerius, & Hesiodus, quorum scriptis nullum antiquus habent Græci: nam Orphica quæ circumferuntur, Píssistrati ævo haudquam vetustiora sunt. Homerum studiorum causa Ægyptum petuisse tradit Diodorus: imo & Ægyptius à plurimis existimatus est, ut afflèverat Clemens Alexandrinus. Cum autem dubitare nos non sinant ea quæ dicturi sumus inferius, quin tum apud Ægyptios vigeret Mosis memoria, atque illuc jam penetrasset ipsius scriptiones, quis illas, unde tantarum rerum notitiam potenter comparare, neget ab iis lectas & sublectas, qui illuc discendi gratia proficisciabantur? Multis id confirmat Iustinus in Parænesi, & libri ipsi Homeri loquuntur, in quibus sexcenta deprehendere licet ex Molo de prompta. Velut cum scribit Deos peregrinorum habitu urbes circumire, ad exploranda hominum bene vel male facta. Id ipsi suppeditavit Moses, cum tres Angelos Abrahamo apparuisse scribit. Augurium, ejusque expositio, quæ habentur in Odyssæ, cum aquilas in capita procorum involantes mortem ipsius Augur portendere declarat; non-ne similis ostenti imitatio est, quod Ægyptio pistorum magistro in somnis contigit, & in paris eventus significationem traxit Josephus? Multa etiam hujus generis apud Hesiodum nanciscare. Græcanicæ Theogoniae architectos fuisse ipsos differtis verbis Herodotus pronuntiat: quam multa autem in tota hac Mythologia è Mose manifesto petita? quod & infra probabimus. Chaos Hesiodo memoratum, ex Mosis veribus confiditum est agnoscunt omnes. Aristoteles in libello de Xenophane, Zeno, & Gorgia, Chaos illud Hesiodi, ex quo orta sunt omnia, nihil esse diftere prouuntat. Hesiodi ejusdem Erebus, ipsum est θύ Mosis. Diem Nocte satum, proinde recentiore finxit: Moses quippe vespertinum tempus matutino anteposuit, & post tenebras lucem creatam dixit. Septimum diem sacrum esse, & hic docuit, & Homerius, qui & eo cuncta perfecta fuisse addit, ut ab Aristobulo adnotatum est. Hominem luto formatum, & primorum hominum vitam nostra hac fuisse diurniorem scripsit Hesiodus: quæ mere Mosaica sunt. Ate Homeri, Pandora Hesiodi, Eva est parens generis humani. Omnia Homerum ex Oriente de promissa, demonstraturum se spondet non semel Heinlius in Aristarcho facio. Prodit libellus ante annos aliquot, quo locutiones Homerica & Hesiodeæ, Mosis, aliorumque Scriptorum sacrorum locutionibus similes colliguntur. Ex quibus cognoscitur tantam Ebraïmorum sicutem, nonnisi ex Librorum sacrorum lectione subiori potuisse. Atque hinc factum opinor, ut Aristæ Proconnesii, qui sæpe confunditur cum Aristæ Apollinis filio, quem Mosem esse ostendemus, discipulum credi ab aliquibus Homerum Strabo & Eustathius prodiderint.

IV. Ex omnibus argumentis, quæ ad fidem Mosaicis libris adstruendam colligi possunt, vix validius ullum reperias, quam quod ex Pentateuchi Samaritani vetustate & auctoritate dicitur. Cum enim jam inde ab Ierooboami perduellione, decem tribus secessione facta suis legibus, suaque religione uti coepissent: majorque deinde exarsisset invidia, postquam Templi Hierolymitani, Urbisque adeo ipsius instauracionem turbantes Esdras devovit, & horrendi carminis prouinatione sacras & infa-

Jud. 6,32. & 7,1.  
& 8, 15.  
Boch. Chan.  
libr. 2, cap. 27.  
Suid. in Iepr.  
fidaa.  
Georg. Sync.  
Chronograph.  
ad ann. Mund.  
4115.  
Philo Bybl.  
apud Euseb. De  
Præp. Evang.  
lib. 1.

Eupol. apud  
Clem. Alex.  
Strom. libr. 1.  
Theodor. in  
Gen. Interr. 61.  
Ifidor. Orig.  
libr. libr. 1, c. 3.

Clem. Alex,  
Strom. 2.

Diodor. libr. 1.

Hom. Odyss. p.

Hom. Odyss. C.

Herod. libr. 2,

cap. 53.

Aristob. apud  
Euseb. Præp.

libr. 13, cap. 12.

Hesiod. Ari-

starch. facr.

part. 1, cap. 1.

Strab. libr. 13,

Eustach. in

Hom. II. 8.

Pentateuchi

Samaritanis.

F ij